137.

Dr. Josef Mařan:

NOVÉ DRUHY A FORMY PALAEARKTICKÝCH ALLECULIDŮ.

Část II.

DE NOVIS ALLECULIDARUM SPECIEBUS FORMISQUE REGIONIS PALAEARCTICAE.

Pars II.

1. **Cteniopus Purkyněi** m. nov. sp.

Niger, subnitidus, palpis, antennis pedibusque nigris, tantum tibiis anticis et mediis indistincte obscure brunneis, capite nigro, prothorace nigro, lateribus et basi plus-minus obscure brunneo vel obscure luteo in disco nigrobrunneo, elytris luteis, subtiliter nigropilosis.

Capite supra crebre et dense punctato, oculis parum prominulis, lateribus antice ab antennarum basi usque ad basin clypei fortiter, deinde lenius convergentibus, labro longitudine distincte latiore. Palpis maxillaribus articulo secundo quam ultimo parum breviore, in ♂ articulo ultimo quam penultimo fere 1¾ longiore, in ⅓ parte longitudinis latissimo. Antennis sat crassis, in ♂ medium corporis parum superantibus, in ♀ dimidio corporis paulo brevioribus, apicem versus perparum dilatatis, articulo tertio quam secundo in ♂ 2⅓ in ♀ 2× longiore, articulo quarto quam tertio in ♂ parum, in ♀ haud distincte breviore, articulis 5—7 et 11 fere aequilongis, articulo 8 et 9 brevioribus.

Pronoto subquadrato, longitudine multo latiore ante medium latissimo postice et antice subtiliter marginato, lateribus totaliter acutis, marginatis, antice rotundatim attenuatis cum angulis anticis rotudatis, haud prominulis, postice fere subparallelis, parum convergentibus cum angulis posticis rectis, subacutis, supra dense (in ♂ densius, in ♀ sparsius), haud crebre punctato, foveis lateralibus in ♀ forte impressis, subrotundis, tantum antice versus marginem lateralem impressiforme prolongatis, basin versus elevatione antebasali terminatis, simile ut in *Ct. flavus* Scop. formatis, sed minus profunde impressis, in ♂ his foveis angustius et obsoletius fere tantum lineiforme impressis.

Elytris in humeris prothorace distincte latioribus, in ♂ subparallelis, in ♀ pone medium modice dilatatis, apice rotundatim subtruncatis, supra minutissime sed distincte striatopunctatis, interstitio primo apicem versus distincte elevato, ceteris planis, minutissime sat dense punctulatis et subtiliter brevissime nigropilosis. Epipleuris apicem versus sensim angustatis usque ad partem apicalem subtruncatam superantibus.

Prosterno processu intercoxali coxis multo breviore, postice acute prominulo. Pedibus sat crassis in ♂ quam in ♀ longioribus, tibiis rectis, tarsis in ♂ tibiis fere aequilongis, in ♀ paulo brevioribus, tarsis anticis in ♂ perparum dilatatis, quam in ♀ multo longioribus, in ♀ brevibus cum articulo 3 et 4 subquadrato, articulo unguiculari tribus praecedentibus paullulo breviore, tarsis mediis articulo primo duobus sequentibus, articulo unguiculari duobus praecedentibus fere aequilongo, tarsis posticis articulo primo duobus sequentibus longiore, articulo unguiculari duobus praecendentibus paullulo breviore.

Abdomine in ♂ segmento quinto in medio quam quarto parum longiore, segmento ultimo medio valde et profunde excavato cum lateribus acutis, postice breviter prolongatis, in apice subtruncatim rotundatis, sat longe nigropilosis, in ♀ segmento quinto quam quarto parum longiore, apice subtruncato, lateribus haud impresso.

Inter *Ct. flavus* Scop. et *impressicollis* Fairm. ponendus, a primo bene distinctus prothorace multo latiore, antennis pedibusque multo brevioribus, superficie nigropilosa etc., a *Ct. impressicollis* Fairm. differt, descriptione sensu, foveis lateralibus prothoracis tantum antice versus marginem lateralem impressiforme prolongatis, prothorace obscurius colorato, tibiis femoribusque nigris.

Habitat in montibus Macedoniae jugoslavicae: Korab-planina 2 ♂♂ et 2 ♀♀; Jablanica-planina 2 ♀♀; Dr. Fr. Rambousek et Dr. Cyrill Purkyně legit.

Typi in Coll. Musei Nat. Pragae conservantur.

2. **Cteniopus sulphuripes** ♀ ab. **androides** m. nov.

Feminae huius speciei pronotum rufum (forma typica) vel rufum cum maculis nigris (= *ab. notatus Pic.*, e Rosia mer. descriptus, mihi etiam ex Hungaria et ex Bulgaria notus). In Macedonia jugoslavica meridionali autem forma feminae cum prothorace toto nigro ut in ♂ saepius occurrit, quam formam nigram *ab. androides* m. nomino.

Typi: 2 ex. Peristeri, Dr. Purkyně lgt.; 6 ex. Ochrida, Silbernagel lgt.

3. **Megischina cypria** m. nov. sp.

Nigra nitida, pronoto supra sparse brevius luteopiloso, sparse atque modice punctato, lateribus anguste subreflexis, elytris brunneis, oblongoovatis, pone medium latissimis, fortiter striatopunctatis, interstitiis convexis, supra modice sat sparse punctulatis, luteopilosis, epipleuris sensim angustatis, ante medium haud dilatatis. Palpis, antennis in basi (articulo 1—3), tibiis anticis et mediis totis, posticis apicem versus, femoribus anticis in parte apicali, tarsisque omnibus rufescentibus. Tarsis anticis in ♂ modice dilatatis, articulo unguiculari sat elongato, tantum ante medium modice dilatato. Abdomine segmento sexto in ♂ breviter forficulato simile ut in *M. armillata* Brulle. formato, peni apice angusto, acuto. Pygidio in ♂ in medio apice modice carinuliforme elevato et breviter spiniforme prominulo, in ♀ fortius carinato et longe spiniforme prolongato. Long.: 10—12 mm.

Species haec nova differt a *M. armillata* Brulle. statura minore, pronoto lateribus tantum angustissime subreflexis, supra lenius atque sparsius punctato, elytris brevioribus, lateribus magis rotundatis, interstitiis sparsius sed haud lenius punctulatis, tarsis anticis in ♂ minus dilatatis cum articulo unguiculari magis elongato minusque dilatato, pygidio in utroque sexu postice in medio carinato et in ♂ modice, in ♀ longius spiniforme prolongato. A *M. adaliae* Rttr. descriptione sensu elytris fortius striatopunctatis cum interstitiis distincte convexis, haud dense punctulatis palpisque apice haud obscuratis, disticta.

Patria: Insula Cyprus. Typi: 1 ♀ Mont Arménien ex. Coll. Obenberger; 1 ♀ et 1 ♀ Larnaka Splichal lgt. ex Coll. Dr. A. Fleischer, in Coll. Musei Nat. Pragae conservantur.

4. **Megischia curvipes** ssp. **corcyrea** m .nov.

Oblonga nigra, nitida, capite dense crebreque punctato, prothorace valde angusto, supra dense punctulato, ante basim medio nullomodo impresso, linea media haud distincta, antennis articulo primo, secundo et tercio in basi tarsisque anticis rufescentibus, elytris luteis, punctatostriatis, striis autem tantum minutissime insculptis, interstitiis dense minutissime punctulatis subtiliterque flavopubescentibus. Differt a *M. curvipes* (Brullé?) Küst. (Sensu Küster et Reitter in Bestim. Tab. 1906 p. 173 non Rttr. D. 1890 p. 40) comparata cum speciminibus ex Gallia mer., Corsica, Italia et Hispania, pronoto multo angustiore, antice posticeque minutissime marginato, supra paulo lenius atque paulo sparsius punctato, striis elytrorum tantum minutissime insculptis, interstitiis planis, dense minutissime punctulatis pauloque brevius subtilius flavopubescentibus. A *M. galbanata* Kiesw. et *curvimana* Rttr. differt antennis in basi distincte rufescentibus, pronoto angustiore, supra multo densius punctato, ante basin nullomodo impresso.

Typi: ♂ et ♀ Corfu Dr. Formánek lgt. in Coll. Musei Nat. Pragae conservantur.

Obser. Specimen unicum speciei *curvipes* Küst. e Calabria (Gerace-Paganetti legt.) quod ante oculos habeo, differt a speciminibus e ceteris supra dictis regionibus mediterraneae occid. capite et pronoto supra multo crebrius punctato itaque interstitiis elytrorum paulo crebrius punctulatis antennisque obscurius coloratis.

5. **Megischia galbanata** var. **laticollis** m. nov.

Haec forma robusta valde distincta differt a speciminibus typicis pronoto multo latiore, lateribus valde rotundatis, supra multo densius punctato (densius ut in *M. curvipes* Küst.), elytris latioribus fortius striatopunctatis antennisque paulo crassioribus.

Typus 1 ♀ Kalamai Pelopon. in Coll. Bartoň-Dobenín in Coll. Musei Nat. Pragae conservatur.